



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Compendium Privilegiorum, Et Gratiarum Societatis Jesu

Pragae, Anno M.DCC.III.


VD18 13723553

Indulgentiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65423)


IMPETRARE.

Vide loca, quæ citantur infra verbo,
Indulta.



INCARCERARE.

Vide verbo *Correctio*. §. 2. & verbo
Exemptio. §. 12. & verbo *Apostata*. §. 5.



INDULGENTIAE.

Notandum, Paulum V. Bullâ, datâ 23. Maji 1606. revocâsse omnes Indulgentias, usque ad illam diem concessas omnibus Ordinibus, & Personis Regularibus, & alias peculiâres concessisse, omnibus Religiosis communes: quæ §. 33. hujus Tituli apponentur.

§. I.

Indulgentiæ Stationum Urbis.



Offunt Nostri Indulgentias omnium Stationum Urbis eisdem diebus in propria Ecclesia vel Domo consequi, dum

dummodo visitent quinque altaria, vel in
 uno quinque Psalmos, aut si nesciunt le-
 gere, alias Orationes dicant. Concessit
 Pius v. Vivæ voc. orac. 16. Februarii 1568.
 ut in M. S. V. V. O. pag. 52.

§. 2.

Idem.

Easdem Stationum Indulgentias con-
 sequuntur Nostri visitando aliquam So-
 cietatis Ecclesiam, vel aliam, in qua pro
 tempore ex Obedientia esse contigerit, si
 inibi ante illius altare majus quinque ora-
 tionem Dominicam, & toties Salutationem
 Angelicam devotè dixerint, ut concessum
 est Minimis à Julio II. per Bullam dat. 5.
 Kal. Aug. 1506. Incipit: *Dudum ad Sa-*
crum: est 10. in Bull. comm. in n. 11. &
 32. & per concessionem factam Minori-
 bus, & Prædicatoribus, ab Innocentio VIII.
 Easdem Indulgentias, & alias concessas,
 in Nostri Ecclesiis consequuntur Nostri,
 qui per Obedientiam extra Domos & Col-
 legia reperiuntur, dicendo quinque *Pa-*
ter noster, & *Ave*, in quacumque Ecclesia
 & loco ea dixerint pro intentione, & pro-
 posito illius Indulgentiæ. Similiter in-
 firmi eadem recitando in valetudinariis,
 & cellis, ac etiam lectulis, quando com-
 modè aliter non possunt. Habetur in-
 ter Orac. hujus Pontif. in Bull. Reg. n. 13.

Et

Et generaliter quando aliquâ necessitate vel infirmate essent præpediti, vel in itinere constituti, ita quòd Ecclesias pro consequendis Indulgentiis, & aliis gratiis Societati concessis adire non possunt, illas consequentur, dicendo dumtaxat illud, quod in Ecclesia dicturi erant. Habetur in Summario Privilegiorum S. Justinæ in privilegiis impressis fol. 171. p. 2. Creditur fuisse V. V. O.

§. 3.

Quomodo consequi possimus Indulgentias Urbis, &c.

Quicumque Nostrorum quinquies *Pater, & Ave*, cum *Gloria Patri* ad finem cujlibet, pro felici statu Sanctæ Matris Ecclesiæ, & semel *Pater, & Ave*, pro intentione concedentis, cum *Gloria Patri* similiter ad finem dixerit, quacumque horâ diei, vel noctis, & quocumque loco dicantur, scilicet choro, Ecclesiâ, Claustro, Oratorio, ac Cellâ, consequentur Indulgentias tam Urbis, quàm Hierusalem, & S. Jacobi in Compostella, ac quam consequuntur visitantes secundâ die Augusti Ecclesiam S. Mariæ Portiunculæ, sive de Angelis in Assisio. Leo x. Minor. Habetur in Bull. Regul. inter Oracula hujus Pontificis, munitum testimonio Card. SS. Quatuor Coronatorum. n. 24.

§. 4.

§. 4.

Plenaria pro ingressu, &c.

Omnes personæ, quæ recipiuntur in Societatem, in earum ingressu, & morte, Plenariam omnium suorum peccatorum veniam & Indulgentiam consequuntur. Julius II. Minimis, per Bullam: Incipit: *Du- dum ad Sacrum*, quæ suprâ §. 2. & Paulus V. in Bulla, citanda in fine hujus Tituli; sed sub conditione præmissæ Confessionis, & Communionis.

§. 5.

*Plenaria diebus Dominicis, & Festis**B. Virginis.*

Sacerdotes Nostri, qui Dominicis diebus, aut in solemnitatibus Domini, aut B. Mariæ celebrant; itè & Nostri omnes, quando communicant, Indulgentiam plenariam consequuntur. Innocentius VIII. Habetur inter Oracula hujus Pontif. in Bull. Regul. in n. 4. & pro Monialibus S. Claræ, quoties communicant. Concessit Leo X. per Bullam dat. 29. Mart. 1515. Incipit: *Cum sicut nobis.* est 46. in eodem Bull. in n. 2.

§. 6.

Indulgentia pro Corona D. N.

Toties quoties Nostri Coronam Domini Iesu, quæ dicitur continere 33. *Pater noster,*

noster, & totidem *Ave Maria*; & Coronam B. Mariæ Virg. 63. *Ave Maria*, & de decem in decem unum *Pater noster*, dixerint; Plenariam Indulgentiam consequuntur. Infirmi verò, ac senes in decrepitate constituti, eandem lucrabuntur dicendo unum Psalmum, vel Hymnum Virginis, vel Domini Nostri. Concessit Iulius II. Habetur inter Oracula hujus Pontif. in Bull. Regul. n. 12. & 14. & Leo X. per Bullam Sororibus B. M. & S. Claræ, dat. 19. Junii, 1515. Incipit: *Dum præcelsa*: est 20. in eodem Bull. & V. V. O. ut ibid. Or. 23.

§. 7.

Supradicta Indulgentia per modum suffragii.

Prædictæ Indulgentiæ de Corona Domini Salvatoris, & B. Virginis, & similes concessæ per Leonem X. usque ad quartum sui Pontificatus annum die 3. Februarii, ejusque Prædecessores, possunt per Nostros animabus Defunctorum per modum suffragii applicari. Concessit idem Leo X. vivæ voc. orac. ut in §. proximè superiori: inter Orac. hujus Pont. sed in n. 77.

§. 8.

Plenaria pro Cantico graduum.

Dicen-

Dicentes Canticum Graduum, Indulgentiam plenariam consequuntur. Leo x. Minor. S. Clara, vivæ voc. orac. ut in Comp. Minor. verbo *Indulgentia plenaria quoad Fratres*. §. 19.

§. 9.

Plenaria pro venientibus ad Congregationem generalem.

Possunt Nostri Confessarii iis qui ad generalem Congregationem veniunt; vel tunc, vel infra 20. dies sequentes, Plenariam Indulgentiam impertiri. Sixtus IV. Cisterciens. Per Pontificis signaturam publicè authenticatam à Card. Portuensi: & est inter Bullas hujus Pont. 46. in Bull. Regul.

Vide etiam infra §. 19.

§. 10.

Plenaria in visitatione Collegiorum, &c.

Omnes Provinciales, peractâ visitatione ordinariâ in Domibus, & Collegiis suæ Provinciæ, habent facultatem concedendi Indulgentiam plenariam omnibus cujuslibet domûs, seu Collegii sic visitati. Concessit Leo x. Minor. vivæ voc. orac. Habetur inter Oracula hujus Pont. n. 59. in Bull. Regul. Et iterum vivæ voc. orac. sed non revocato, utpote emanato 8. Febr. 1639. Urban. VIII. concessit pro Nostræ

G

Socie-

Societatis Provincialibus, ut testatur Cardin. de Lugo in M. S. Et hoc ipsum possunt Visitatores finitâ Visitatione, ut infra V. Visitatores.

§. II.

Possunt in Nostris Ecclesiis lucrari plenarias & non plenarias Roma.

Omnes Indulgentias plenarias, & non plenarias, quæ sunt Romæ in singulis Ecclesiis, quocumque tempore & die, eodem tempore & die possunt Nostri in nostris Ecclesiis lucrari. Sixtus IV. Minor. V. V. O. ut in Comp. Min. V. *Indulgentia Stationum quò ad Fratres.* n. 7. & Paul. V. pag. 5. omnibus Regularibus in Const. quæ Incipit: *Romanus Pontifex.* §. 7. est. 21. in Bull. comm. Et per litteras Gregorii XIII. Nobis concessas, Nostri in qualibet mundi parte existentes, ante altare sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti in Nostris Ecclesiis orationes ad Deum fundendo, pro Sanctæ Ecclesiæ Romanæ exaltatione, hæresum extirpatione, & inter Principes Christianos fovenda pace, aut alias pro cujuscumque peculiari devotione, consequentur omnes Indulgentias, etiam plenarias, & peccatorum remissiones, quas consequerentur, si Indulgentiarum ipsarum diebus Ecclesias, & loca pia his decorata in locis, in quibus Nostros moram trahere con-

re continget, visitarent. Gregorius XIII.
pag. 64.

§. 12.

Pro visitantibus Ecclesias Nostras.

Per concessionem verò Leonis x. omnes Indulgentiæ concessæ visitantibus Domos, Ecclesias, & Oratoria Mendicantium, sunt concessæ similiter Nobis visitantibus Nostras Ecclesias, Domos, vel Oratoria, perinde ac si cuilibet Ecclesiarum Nostrarum, Domuum, & Oratoriorum ubilibet consistentium concessæ fuissent. Habetur per Bullam, datam 2. Decembris, 1515. Incipit: *Dum per nos*: est 30. in Bull. Regular. Et similiter Nostri visitando Ecclesias Nostras, consequi possunt eodem modo Indulgentias, quas tunc consequerentur, si visitarent quasvis Ecclesias aliorum Ordinum, etiam non Mendicantium, & Confraternitatum, & aliorum piorum locorum, juxta communicationem, quam habemus, de qua suprâ verbo *Communicatio gratiarum*. §. 3.

*Excipi tamen debent ab his, qua hoc §. continentur, Indulgentia concessæ pro festi-
vitatibus Sanctorum cujusvis prædictorum
Ordinum, aut Congregationum, &c. Pari
ratione juxta ea, qua dicuntur à Collecto-
re in Compend. Minor. Verbo Interdictum.
2. Concess. 10.*

§. 13.

Indulg. plenaria pro Miserere.

Dicentes unum *Miserere*, Indulgentiam plenariam consequuntur. Concessit Sixtus IV. ut est in Privilegiis Canonorum Regular. Lateranens. & habetur in manuscript. fol. 50. pag. 2. in fine. Dicentes autem unum *Miserere* in quolibet altari, consequuntur Indulgentias Urbis, illius diei. Concessum eisdem, ut habetur in d. p.

Neutrum invenitur per litteras concessum.

§. 14.

Indulg. plen. dicentibus Missã Concept. B. V.

Nostri qui dicunt Missam Conceptionis B. Virginis, vel audiunt illam, ac intendunt orare pro Leone X. qui id concessit, & pro universali Ecclesia, Indulgentiam plenariam consequuntur. Habetur viva voc. orac. ut in Comp. Min. V. *Indulgentia plenaria quò ad Fratres §. 17. 18.*

§. 15.

Indulgentia plenissima pro Nostri in mortis articulo.

In mortis articulo Confessarius Societatis potest Nostri plenissimam Indulgentiam impertiri, & reservatur vero articulo mortis.

mortis. Concessit Sixtus IV. Cisterciens. per Bullam, dat. Idibus Dec. 1465. Incipit: *Sacrofancta Religionis*: & est 45. ejusd. in Bull. Reg. ubi Pontifex noluit hanc remissionem prodesse quò ad ea, quæ ex ejus confidentia commissa fuerint. Sed, nullâ adjectâ limitatione, ab eodem Pontifice idem concessum est Confratribus S. Spiritus in Saxia per Bullam, dat 12. Kal. April. 1477. Incipit: *Illius qui pro Domini*: est 14. in Bull. comm. §. 8.

§. 16.

Indulg. plenar. pro Nostris in mortis articulo nomen IESU nominantibus.

Quicumque ex Nostris pœnitens & contritus nomen JESU in mortis articulo nominaverit, plenariam omnium peccatorum suorum, etiam de quibus, nisi morte præveniretur, confiteretur, Indulgentiam consequitur. Concessum est à Leone X. Confraternitati Charitatis de Urbe per Bullam, datam 5. Kal. Febr. 1520. Incipit: *Illius, qui Charitas est*: & est 37. in Bull. comm. §. 5. Itèm à Pio IV. Fratribus & Militibus S. Lazari Hierosolymitanis per Bullam, dat. 4. non. Maji. 1505. Incipit: *Inter assiduas*: est 95. in eodem Bull. §. 143.

§. 17.

G 3

Nostris

Nostri recitantes Psal. Miserere, &c.
Indul. totius Orbis consequuntur.

Nostri dicentes in Ecclesia singulis diebus in perpetuum Psalmum *Miserere* cum Oratione pro Pontifice, scilicet, *Deus omnium fidelium Pastor, &c.* Vel *Omnipotens sempiternus Deus, &c.* lucrantur omnes, & singulas Indulgentias, quæ sunt concessæ Ecclesiis & locis totius Orbis. Concessit Julius II. personis Congregationis Lateranensis, An: 1506. 1. Jul. in manu script. fol. 50. pag. 2.

§. 18.

Recitanti Officium per librum, Indulg.

Qui solverint Officium Divinum per librum, consequuntur remissionem dimidiæ partis peccatorum commissorum illâ die, quâ prædictum solvunt Officium. Concessit Leo X. Minor. ut in Supplemen. fol. 94. pag. 1. concess. 294.

§. 19.

Euntium ad Congreg. gener. Indulg.

Euntibus per Obedientiam ad Congregationem generalem, conceditur Indulgentia unius anni, & 40. dierum. Euntibus autem ad Congregationem Provinciam, centum dierum. Concessit Alexander IV. per litteras non authenticatas: ut habetur in Comp. Minor. V. *Indulgentia Plenaria quoad Fratres. §. 1.*

§. 20.

§. 20.

*Flectentium genua in versu Te ergo
Indulg.*

Cùm cantatur in Matutino *Te Deum Laudamus*, flectentes genua in versiculo, *Te ergo qualumus*, &c. tres quarantenas. Et ad *Gratias agamus*, in Præfatione, centum dies Indulgentiæ consequimur: sufficit tamen Sacerdotibus, si in Missa ad *Gratias agamus*, se inclinent. Concessum Carthusianis Oraculo, non authenticato, à Benedicto XII. ut in Comp. Minor. V. *Indulgentia non Plenaria* n. 14. Sed & per litteras fuisse concessum, habetur ex Libro Privilegiorum ejus Ordinis, impresso Basileæ. A. 1510. fol 32. Bullâ 106.

§. 21.

Indulg. liberandi animam à Purgat.

Sabbato in Ramis Palmarum, possumus liberare unam animam à Purgatorio, dicendo Psalmos pœnitentiales, vel quinquies *Pater noster*, & *Ave Maria*, ante Sacramentum Altaris; & pro Papa Leone X. qui id concessit, unam Coronam B. Virginis. Idemque pariter possumus in die Festo S. Joannis Evangelistæ, & die ejusdem ante portam Latinâ. Concessum est Minoribus, ab eodem Pontifice, Oraculo authenticato: ut in Bull. Regul. inter Oracula ejus Pont. n. 28. 29.

re, &c.
ur.
gulis die
ere cum
, Deus
Omnipo.
tur omi-
uæ sunt
bis. Con-
gationis
a manu.

Indulg.
n per li-
dimidiæ
die, quâ
essit Leo
pag. 1.

Indulg.
Congre-
indulgen-
ibus au-
cialem,
nder IV.
berur in
ria quo-

§. 22.

Indulg. pro Nostris orantibus pro existentibus in peccato mortali.

Tam Nostris, quàm quilibet alii Christi fideles, dicentes 15. *Pater & Ave*, pro existentibus in peccato mortali, toties quoties id fecerint, tertiæ partis peccatorum remissiones consequuntur. Concessum est Minoribus à Leone x. Oraculo authenticato; ut in Bull. Regul. inter ejus Oracula. n. 75.

§. 23.

Indulg. plen. pro visitantibus Nostras Ecclesias.

Omnes Christi fideles, qui verè pœnitentes, & confessi, ac communicati, in die Circumcisionis, vel alio, per Præpositum Generalem, seu per Superiorem loci visitandi, semel pro semper nominando, aliquam Ecclesiam, seu Capellam, aut pium locum Societatis, ubicumque Nostris habitare contigerit, (dummodo, si sint plures Ecclesiæ Societatis in eadem civitate, terra, aut loco, una tantùm ad id per Præpositum Generalem statuatur, annis singulis, præterquam Jubilæi, à primis Vesperis usque ad occasum Solis ejusdem diei, devotè visiterint, & ibi quinquies orationem Dominicam, & totidem salutationem Angelicam recitaverint, vel alias
ad De-

ad Deum orationes pro Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, fideique Catholicæ incremento effuderint, plenariam Indulgentiam in forma Jubilæi consequentur. Gregorius XIII. pag. 61. adjunctis litteris Pauli III. pag. 14.

In electione autem locorum præferatur semper Ecclesia Domûs Professa.

S. 24.

Indulg. pro visitatibus Ecclesiæ Nostras in die Circumcisionis, &c.

Quicumque Christi fideles, qui verè pœnitentes, & confessi, aut propositum temporibus à jure statutis confitendi habentes, Ecclesias, & alia pia loca Societatis, in diebus Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Corporis Christi, nec non diebus Veneris, & Dominicis totius anni, ac Quadragesimalibus, usque ad Octavam Paschæ visitaverint, & inibi semel *Pater & Ave* recitaverint, & verbum Dei, si in illis prædicetur, devotè audierint, septem annos, & totidem quadragenas, de injunctis eis pœnitentiis consequentur. Paulus III. pag. 14.

S. 25.

Indulg. plen. semel in vita, &c.

Omnes Christi fideles, qui confessi, & corde contriti fuerint, aut confitendi firmum propositum habuerint, ac in honorem & devotionem Passionis Christi preces

G 5

devo-

devotè effuderint, & postea idoneo alicui Societatis Presbytero, aut Societati, Præpositoꝝve Generali Obedientiam præstanti confitentur, plenariam Indulgentiam semel in vita consequuntur, in forma Ecclesiæ consveta. Paulus III. Concessit ad instantiam S. Francisci Borgia, tunc Ducis Gandiæ 4. non. Jan. 1547. & fuit authenticatum à Cardinali Durante: ut constat ex lib. M. S. Oraculorum pag. 6. 7.

§. 26.

Indulgentiæ pro quotidie visitantibus Ecclesias Nostras.

Quolibet anni die, visitans Ecclesias Nostras, consequitur annum, & 244. dies; & qualibet die Quadragesimæ, consequitur annos quatuor, dies 236. Indulgentiæ. Habetur per Bullas, non authenticatas, ut in Comp. Min. V. *Indulgentiæ quò ad seculares.* 2. n. 1. 2. 3. & quò ad seculares 3. n. 1.

§. 27.

Indulg. pro audientibus conciones Nostrorum.

Venientibus communiter ad Sermones annuales audiendos ad loca Nostra, conceduntur similiter anni tres, & dies duo indulgentiarum. Habetur in Supplem. Minor. fol. 3. concess. 491. Et per concessionem Minoribus factam, conceduntur

duntur iis, qui audiunt Prædicationes Nostrorum, anni quindecim Indulgentiarum. Habetur plurium Pontificum Bullis, non authenticatis, pro FF. Prædicatoribus: ut in Comp. Min. V. *Indulgentia quò ad seculares* 5. n. 6. & Gregorii IX. Indulto simili pro Minorib, ut ibid. n. 1.

§. 28.

Indulg. plen. pro parentibus Nostrorum.

Patres & matres eorum, qui sunt de Societate, præsentium & futurorum, etiam defunctorum, in Purgatorio existentes, Indulgentiam plenariam consequuntur. Concessit Calixtus III. Minoribus vivæ voc. orac. die 26. Apr. 1457. ut in Bull. Regul. inter ejus Oracula n. 2.

§. 29.

Indulg. pro Procuratoribus Nostris, &c.

Procuratores Nostris, eorumque Substituti, Liberi, Parentes, Fratres, Sorores, possunt promereri Indulgentias Stationum, & alias, Nostris concessas, recitando in Nostris Ecclesiis quinque *Pater Noster*, & totidè *Ave Maria*, pro felici statu S. Romanæ Ecclesiæ. Concessit Innoc. VIII. Minor. vivæ voc. orac. ut habetur in Bull. Reg. inter ejus Orac. n. 14. Quibus etiã Indulgentiis gaudent Medici Ordinarii Nostrorum ex concessione Alexandri VI. vivæ voc. orac. ut in Bull. Regul. inter Orac. ipsius. n. 7.

§. 30.

*Indulg. plen. semel in vita pro Nostriis,
& Fundatoribus, &c.*

Nostri de Societate, ac ejusdem utriusque sexûs Tutores, & Fundatores, & Procuratores, ac eorum liberi, semel in vita, & in morte, plenariam omnium peccatorum veniam, & indulgentiam consequuntur. Concessum est Minimis, per Bullam Jul. II. dat. 5. Kalend. Aug. 1506. Incipit: *Dudum ad Sacrum*: est 10. ejusd. Pont. in Bull. comm.

Eadem Indulgentia pro Nostriis famulis. Vide V. *Familiares*. §. 4.

§. 31.

Indulgentia pro visitantibus Ecclesias Nostrias.

Gregorius XIII. die 17. Martii 1576. concessit vivæ voc. orac: Nostriæ Societati, atque Externis Scholasticis, qui Nostrias Scholas frequentare solent, Indulgentias omnes, quæ conceduntur cunctis diebus totius anni, visitantibus Romanas Ecclesias, si Sacellum, vel Ecclesiam Societatis visitaverint, & quinquies Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ante altare majus; ante quatuor autem altaria recitaverint semel orationem Dominicam, & salutationem Angelicam. Quòd sicubi tot altaria non fuerint; easdem

dem orationes novies ante ipsum altare majus recitabunt. Habetur in Lib. vivæ voc. oraculor. fol. 40. Et per concessionem Clem. VII. omnibus Christi Fidelibus Confratribus S. M. de Carmelo, Bullâ, dat. prid. Id. Aug. 1550. est 31. in Bull. comm. in §. 10. Nostri, qui singulis Quadragesimæ diebus, & aliis quibuslibet Stationum Urbis Romæ, unam, vel duas Ecclesias, aut unum, vel duo Altaria, in partibus illis, ubi eos, vel singulos eorum habitare, vel quò declinare contigerit, visitaverint, tot, ac similes Indulgentias, vel remissiones peccatorum consequuntur, quas consequerentur, si easdem dictæ Urbis Ecclesias, pro Stationibus hujusmodi deputatas, personaliter visitarent.

§. 32.

Indulgentia pro moribundis Crucifixum alicujus Nostri osculantibus.

Quotiescumque aliquis ex Nostris particularem Crucifixi Imaginem, quam semel electam, nisi in eventum amissionis, mutare non possit, ad Christi Fidelem, in articulo mortis constitutum deferet; si hic verè pœnitens & confessus, & sacrâ Communione refectus, vel, si id nequeat, contritus, nomen JESU ore, si potuerit; sin minus, corde devotè invocaverit, Imaginemque hujusmodi, à Nostro por-

rectam, osculatus fuerit, seu tetigerit, plenariam Indulgentiam consequitur. Alex. VII. pro Clericis Regular. Ministris Infirmorum, Brevi dato 25. Jan. 1656. Incipit: *Ut saluti.*

§. 33.

Indulgentia Regularium nova, post antiquas revocatas.

Paulus V. Bullâ, datâ 23. Maji. 1606. Incipit: *Romanus Pontifex.* atque est 21. aliâs 16. in Bull. comm. post Revocationem Indulgentiarum, pridem Regularibus concessarum (de qua vide dicta superiùs initio hujus tituli) infra scriptas Indulgentias elargitur.

Dum Habitum regularem suscipiunt.

1. Omnibus igitur Christi fidelibus, qui Canonicè, & juxta Ordines cujuslibet Religionis, & Constitutiones Apostolicas, habitum regularem à legitimis Superioribus, causâ profitendi, in illo susceperint, die primo eorum ingressûs in ipsam Religionem, si verè pœnitentes & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumferint, Plenariam.

Dum Professionem emittunt.

2. Ac cuilibet Novitio, qui pœnitens & confessus, ac Sacra Communione reffectus, post completum probationis annum,

num, Professionem emiserit, etiam Plenariam.

In Festo principali sui Ordinis.

3. Nec non cuilibet Religioso intrà claustra sui Monasterii viventi, qui in festo principali sui Ordinis confessus, & Sacra Communionem refectus fuerit, aut Missam recitans pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad DEÛ preces effuderit, etiam Plenariam.

In mortis articulo.

4. In cujuslibet vero mortis articulo, si pariter verè pœnitens & confessus, ac Sacra Communionem refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltèm contritus, nomen JESU ore, si potuerit, sin autem, corde invocaverit, etiam Plenariam.

Dum Missam primam celebrant, vel ei intersunt.

5. Qui verò ad Presbyteratûs Ordinem Canonicè promotus, & confessus, primam Missam celebrabit, nec non etiam iis Religiosis, qui pariter confessi ac Sacra Communionem refecti eidem Missæ interfuerint, aut ipso die Missam similiter celebrabunt, etiam Plenariam.

Spirituale Exercitium, de quo hic, facientibus.

6. Iis verò, qui de suorum Superiorum licentia, à negotiis per decem dies alieni, in cella commorabuntur, aut ab aliorum conversatione separati, in piorum librorum, & aliarum rerum Spiritualium, animos ad devotionem, & Spiritum inducentium lectionibus operam suam dederint, addendo sæpe considerationes, & Meditationes mysteriorum fidei Catholicæ, Divinorum beneficiorum, quatuor Novissimorum, Passionis Domini Nostri JESU Christi, & aliorum Exercitiorum, Orationum jaculatoriarum, aut vocalium, saltèm per duas horas in diem & noctem orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore Confessionem generalem, aut annualem, vel ordinariam; Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumserint, aut Missam celebraverint; quoties pro quolibet prædictorum Exercitiorum, Plenariam similiter peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Claustralibus eorum Ecclesias visitantibus.

7. Præterea iidem Religiosi intrà claustra viventes, qui suam Ecclesiam devotè visitaverint, & ut præfertur oraverint, consequantur easdem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias Urbis, & extra eam, diebus

bus Stationum consequuntur, in omnibus diebus perinde, ac si ipsas Urbis Ecclesias personaliter visitarent.

Aliisque diebus orantibus.

8. Omnibus item Religiosis intrà claustra ut supra viventibus, qui quinquies orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante Altare eorū Ecclesiæ, in quolibet die quinque Annos, & totidem quadragenas.

Prædicatoribusque, Lectoribus, &c.

9. Iis verò, qui de suorum Superiorum licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes tanquam Prædicatores, & Lectores, quinquies eandem Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante quodlibet Altare similiter dixerint, etiam quinque Annos, & totidem quadragenas.

Orationem mentalem facientibus.

10. Nec non etiam eisdem Religiosis, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediæ horæ, orationem mentalem fecerint, ac confessi & sacra Communionem ultimâ Dominicâ mensis hujusmodi refecti fuerint, sexaginta Annos, & totidem quadragenas.

Culpas proprias in Capitulis accusantibus.

11. Qui verò contrito corde, & pœnitentes,

tentes, eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones, in Capitulis Culparum accusabunt, & Spiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres Annos, & totidem quadragenas.

*Missiones ad terras Infidelium &c.
acceptantibus.*

12. Quotiescumque autem de licentia summi Pontificis, aut suorum Superiorum, in ditiones, & terras Infidelium, aut hæreticorum, ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel infideles & hæreticos ipsos ad fidem Catholicam convertendum, & Ecclesiæ gremio reducendum, missi fuerint, si pœnitentes ac confessi, ac sanctissimâ Communione refecti fuerint, vel Missam celebraverint, ut melius ad hujusmodi opus sese parare valeant, pro duab. vicib. videlicet quando itineri se accingent, & quando in Provinciam, ubi prædicta opera eis exercenda erunt, ingressi fuerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino pariter concedimus, & elargimur.

Orationibus 40. horarum à Superioribus Ordinum prædictis interessentibus.

13. Et insuper, cum Superior in Visitationibus Generalibus orationes quadraginta horarum pro bono Visitationis progressu

gressu collocare voluerit, iis Religiosis, qui dictis Orationibus saltè in spatio duarum horarum in diverso tempore interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, nec non disciplinæ, & observantiæ regularis augmento, pias ad Deum preces, ut supra dictum est, effuderint, si confessi, & Sacra Communione refecti fuerint, aut Missam celebraverint, plenariam similiter omnium peccatorum Indulgentiam & remissionem, ut præfertur, concedimus.

S. 34.

Indulgentiæ plen. pro facientibus. Exercitia in Domibus Nostris.

Quicumque in Domibus Societatis Exercitia Spiritualia, à S. Ignatio instituta, per octidui spatium peregerint, & interea temporis poenitentes, & confessi, Sacro-sanctum Eucharistiæ Sacramentum sumserint, quoties id egerint, plenariam Indulgentiam consequuntur. Concessit Alexand. VII. Brevi, dato 12. Octobr. 1657. Servatur in Tabulario Romano. Idèmq; 4. Febru. 1661. declaravit Cardinali Sfortiæ Pallavicino, prædictam Indulgentiam extendi etiam ad Seminaria sub cura Societatis, & ad Missiones, idque vivæ voc. orac. non revo

revocato. Habetur in Lib. vivæ voc.
orac. M. S. pag. 163.

§. 35.

*Indulgentiæ pro docentibus, & discenti-
bus doctrinam Christianam.*

Nostri Clerici, docentes Doctrinam Chri-
stianam, aliique Christi Fideles, qui huic,
Societatis Ministerio cooperari, aut inter-
esse consueverint, semel in anno in Eccle-
siis, ubi hujusmodi Catechesis habetur, die
Festo ab Ordinariis locorum designando,
si pœnitentes, & confessi, ac Sanctis. Eu-
charistiæ Sacramento refecti fuerint, ple-
nariam Indulgentiam consequuntur. Quam
etiam iidem lucrantur in mortis articulo,
si verè pœnitentes, & confessi dictum san-
ctissim. Eucharistiæ Sacramentum sumse-
rint: aut id facere non valentes, animo con-
trito, nomen Jesu saltèm corde invocave-
rint. Præterea iisdem, qui pariter verè
pœnitentes, & confessi, semel quolibet
mense Sanctissimum Eucharistiæ Sacramen-
tum sumserint, septem annos, & totidem
quadragenas. Nec paucas alias Indulgen-
tias, ut videre est in Brevi Gregorii xv. pag.
111. Cui Brevi nullatenus derogatum esse
suo Decreto lato 7. Martii 1678. declara-
vit S. Congr. Indulgentiarum, die 22. No-
vemb. 1678.

*Omnibus Nostriis, etiam Novitiis, sit sa-
cultas*

cu
ho
as
co
A

ta
lu
lite
ve


Co

Co

Of

Of

cultas consequendi non solum Indulgentias hoc verbo contentas, sed & quascumque alias quomodocumque concessas, seu in posterum concedendas.



INDULTA.

Interdicitur usus Indultorum Pontificiorum:



Non licet Nostris uti Indultis Pontificum, aut ea postulare, aut obtenta retinere, absque facultate Superiorum Societatis; juxta ea, quæ habentur verbo *Absolutio*, §. 11. & verbo *Privilegia*, §. 3. Similiter de Confessionali impetrato, vide supra verbo *Confessionale*.



INFIRMI.

§. I.

Communitio Officii Divini pro infirmis.



Ræpositus Generalis, & alii, quibus ipse suam auctoritatem ad id communicaverit, commutare possunt Divinum Officium Nostorum, quos infirmitate excusan-